



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ethices Christianae, Libri Tres**

**Daneau, Lambert**

**Genevæ, 1579**

Cap. III. Legis diuinæ, quæ Decalogus dicitur, diuisio duplex.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41242**



## CAP. III.

Legis diuinæ, quæ Decalogus dicitur, diuisio duplex.

**L**egis diuisio prima sumitur ex partibus essentialibus, seu materia. Cōtinet enim decem præcepta. Deut. 4. v. 13. & 10. v. 1. Exod. 34. De qua re anxie digladiatur homines, nos suo loco dicemus.

Secunda diuisio sumpta est à fine. Nā (vt ait Ambrosius in Psalmo 119.) quid prodest Lex, si Legis finē ignoramus? Hic summatim traditus est & dilucidè magis Matt. 22. v. 38. Theologi vero afferunt præter superiores duas Legis diuinæ partitiones, etiā ipsi duas, ex quibus vis & natura præceptorū huius Legis facilius intelligi potest: atque etiam discrimen. Dicunt igitur præceptorum quædam

esse Præambula,

De ipsa essentia Legis.

Præambula vocant quæ animum auditoris præparant ad Dei obsequium, & sine quibus Dei Lex esse non potest, qualia de fide, spe, charitate censenda præcepta sunt.

De ipsa Legis essentia vocant ea quæ animo iam ad Dei obsequium formato dantur. Hæc autem decem præcepta dicunt esse. Illud autem prius præceptorū genus in Lege Dei voluit non contineri, sed ad eam præsupponi. Continere enim & demonstrare hæc decem præcepta, fines rerum agendarum, quæ sunt velut principia in moralibus virtutibus. Vti enim cōmunes sententiæ

tentiæ

tentiæ sunt principia in scientiis, ex quibus fiunt conclusiones: sic ex his præceptis fiunt actus. Ergo aiunt nulla virtus theologica (sunt autem tres, fides, spes, charitas) in Decalogo præcepta habet, sed tantum virtutes morales in eo continentur. Duo autem quædam in omni huius Legis præcepto obseruanda dicunt Scholastici libro 2. Sententiarum, Distinct. 28. Quæst. 4. materiam & finem, quæ nos in ijs probaremus, nisi illi ista duo pessimè diuellerent & distraherent, Ergo vide Durand. vbi de præceptis affirmatiuis & negatiuis agit quoque.

Sed & ex his ipsis essentialibus præceptis alia sunt { Affirmatiua, Honora patrem, &c.

{ Negatiua, Non furaberis.

Quæ non modò ipsa verborum cõceptione inter se differunt, sed etiam natura & vi sua. Affirmatiua non obligant semper: etsi semper spectanda sunt, sed pro loco, & pro tẽpore varias interpretationes, variæque temperamenta accipiunt, ex circumstantiarum varia ratione.

Negatiua verò præcepta Legis & semper, & omni loco, & tempore, nulla circumstantiarum habita ratione, obligant. Ratio est, quia in præceptis affirmatiuis actus virtutum explicatur, qui non quolibet modo fieri debent, sed obseruatis circumstantiis rerum, locorum, temporum. In negatiuis actus peccatorum & vitiorum continentur, qui semper sunt cū malo coniuncti, vt libro 2. Ethicõn docet Aristoteles, & ideo fugiendi.

Denique in negatiuis præceptis duo significata obseruari possunt. Sic enim possum' illa ex-  
q. ij.

audire, vt vel

Priuationem & negationem facti vetiti contineant, in furto Non furaberis.

Contrarietate & commendationem virtutis oppositæ illi vitio, in furto, vt Benignitatis & iustitiæ actû contrariû contineat hæc verba Nō furaberis.

Non sunt peccata quatenus priuationem significant, sed quatenus actum virtuti contrarium explicant. Hæc Thomas in 2. 2<sup>a</sup>. Quæstio. 33. Ne quid prætermissum videatur in tantæ rei tractatione & explicatione quod lucem afferre possit sequentibus:

*Hæc mihi dicta semel totis hærentia fastis,*

*Ne seriem rerum scindere cogar, erunt,* ait ille, Et quod ἀντίθεσις χεῖρα ad tantæ Legis explicationem aggrediendum atque accedendum nō est. Obstat quod Marc. 10. vers. 19. vndecimum addi videtur, nempe hoc, Nemini damnum inferes. Resp. Cōuenit istud cum hoc quod est, Non furaberis: sed explicauit Christus aliis verbis hoc præceptum.

Obstat verò secundæ diuisioni Legis, quæ ex fine sumpta est, & quæ facit huius Legis duo capita summa, charitatem nimirum in Deum, & charitatem in Proximum, quod ait Paulus 1. Timoth. 1. v. 5. Finis præcepti est charitas ex puro corde, fide non ficta, & bona conscientia. & quod Thomas 2. 2<sup>a</sup>. Quæst. 44. ait virtutes ordinari vel ad purificandum cor, vel ad fidem rectâ habendam, vel ad bonam conscientiam. Resp. Quod à Paulo dicitur, eodem recidit, & consen-

tit cum hoc loco, & cum Christi dicto Matt h  
22 .v.38. Nam charitas hac Lege præcepta est  
tum erga Deum ipsum, tum erga homines, &  
vtraque ex fide non ficta, & bona conscientia  
nascitur. Id quod explicare voluit Paulus. Quod  
autem dicitur à Thoma eòdem etiam pertinet.  
Sumptum enim est dictum Thomæ ex I. ad Ti-  
moth. I. v. 5. Vbi Legis finis describitur, quem  
nemo consequetur, qui non & Deum dilexerit,  
& Proximū. Quas esse duas summas huius Le-  
gis Moralis partes diximus.



## CAP. IIII.

Præfationis Legis diuinæ explicatio.

**C**ONTINET hoc caput recitationem  
primi capitis Legis, quod habet &  
præfationem, & primum illius præ-  
ceptum, sed & recitatæ explicationē.  
Quod ad Legis verba pertinet, extāt Exodi 20.  
& Deut. 5. quo vtroque in loco summo consen-  
su priora illa duo verba omissa sunt, *Audi Israel.*  
Sed illa extant apud Marcum 12. versu 29. atque  
sumpta sunt ex Deuteronom. 6. versu 4. 4. v. 1, 5. v. 1.  
Denique variis in locis. Sed vidētur esse addita,  
quod fieri vetat Deus Deuteronom. 4. Resp.  
Siue mens siue verba Legis spectentur, nō sunt  
addita. Nam expressè ea verba habet Moses iis-  
dem syllabis, imprimisque cap. 5. Deuteronom.  
etsi interponit quædam quæ ad beneficij acce-  
q. iij.